



THE  
WILLIAM R. PERKINS  
LIBRARY  
OF  
DUKE UNIVERSITY



Rare Books





*Q. D. B. U.*  
DISSERTATIO THEOLOGICA,  
*De*  
**LAPSORUM**  
**POENITENTIA,**

*ex*  
*Apocal. Cap. II. vers. 4. & s.*

*quam*  
DIVINA OPE  
*Sub* PRÆSIDIO  
VIRI

*Maximè Reverendi, Amplissimi*  
*atq; Excellentissimi,*

**DNI. BALTASARIS BEBELII,**  
SS. Theol. Doct. ejusdemque Prof. Publ.  
famigeratissimi,

*Domini Patroni ac Præceptoris sui omni*  
*observantia cultu prosequendi,*

In celeberrimâ Argentoratensium Academiâ  
*ad diem Martij*

ANNI M DC LXXXIV.

in Auditorio æstivo horis consuetis,  
*publicè defendet*

**JOHANNES BENEDICTUS Metzler/**  
Annæbergâ-Misnicus, SS. Th. Studios. & Alum. Elect.

---

ARGENTORATI, Literis JOH. FRIDERICI SPOOR.

SERENISSIMI AC  
POTENTISSIMI  
ELECTORIS  
SAXONIÆ  
PROTO-SYNEDRII, QUOD DRESDÆ EST,

PER-ILLUSTRI DOMINO  
PRÆSIDI  
MOECENATI GRATIOSO,

*nec non*

CONSILIARIIS &  
ASSESSORIBUS

GRAVISSIMIS, SPLENDIDISSIMIS,  
VIRIS SUMME REVERENDIS, MA-  
GNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,  
CONSULTISSIMIS ATQUE EX-  
CELLENTISSIMIS,

DOMINIS, PATRONIS AC PROMOTORIBUS  
SUIS SUBMISSA ANIMI DEVOTIONE  
PERPETUO COLENDIS,

Dissertationem hanc Theologicam

*in obsequio animi signum observantissime consecras*

&

*humillimè offerre*

Respondens

Johannes Benedictus ~~Meister~~ Alum. Elect.



# BALTASAR BEBELIVS,

S. Theol. D. & P.P.

## *Salutem Lecturis!*

**M** Andato divino *non videbis* bovem fratris tui, aut ovem errantem, & prateribis, sed reduces fratri tuo; Etiam si non est propinquus frater tuus, nec nosti eum: duces in domum tuam, & erunt apud te, quamdiu querat ea frater tuus, & recipiat. Similiter facies de asino, & de vestimento, & de omni re fratris tui, qua perierit; si inveneris eam, ne negligas quasi alienam, si videns asinum fratris tui, aut bovem cecidisse in via, non despicias, sed sublevabis cum eo. Deut. XXII, 1. 2. 3. 4. Quale quid jam ante Exod. XXIII, 4. 5. dixerat. Quod nemo ita accipiat, tanquam de solis bestiis DEO sermo & Mosi cura esset; Nam, si videris *asinum* fratris tui, aut *bovem* cecidisse in via, & ille despiciendus non est, sed sublevandus, quanto magis ipsum *proximum*, ubi lapsus fuerit, respicere & sublevare debemus! eoque magis, quò gravior lapsus est. Non est autem gravior lapsus, quam ubi in *fide* erras, aut in *bonis mores* impingis; Nam tunc ipsa *conscientia* læditur, *Deus* offenditur, *proximo* quoque scandalum obicitur, & mala infinita inde emergunt; Quare, ubi tali modo lapsum deprehendens, illicò

manum ipsi, quo optimè potes modo, admoveas, ut a lapsu errorum, vel aliorum peccatorum resurgat. Tales casus frequenter sese nobis obijciunt, in quibus nostram DEO obedientiam, proximo salutem, nobismet ipsis securam conscientiam præstare possumus, si facimus, quod charitas erga proximum, DEO mandante, à nobis requirit.

Succurrebat hæc materia, cum Pereximius atque Præcellens Dn. *Ioh. Benedictus Wexler* / Annæbergâ-Misnicus, nobis significaret, jussu suorum Patronorum & Fautorum publicam cathedram sese conscendere velle, quò, priusquam ab Academia nostra discederet, aliquod studiorum suorum specimen ederet, & cum hic, tum alibi locorum, eruditionem suam atque industriam aliis comprobaret. Placuerunt nobis hæc ipsius desideria, quare nec precibus ejus deesse voluimus, quin hanc disputandi materiam ipsi & commendarem, & elaborarem. Nam non solum sacris & bonis literis dum apud nos fuit, sedulam dedit operam, sed etiam studia sua optimis moribus exornavit, & dignum sese præstitit, cui etiam Ecclesiasticus suggestus aperiretur, & facultas fieret, etiam in solenni auditorio conciones habendi, easque non sine applausu audientium. Faxit Deus, ut præclara hæc semina in ipso excrecant, & salutis publicæ fructus ferant, quibus Evangelica Ecclesia aliquando ex voto fruatur. DEUS servet Inclytam Saxoniam, & in eâ orthodoxam religionem, ut ex hac radice plures subinde egregiæ plantæ excrecant! Vovebam Argentorati, Anno M DC LXXXIV. d.  $\frac{4}{11}$ . Martii.

*Q. D. B. U.*



Q. D. B. U.



Uoniam, Bono cum DEO, constituimus nobiscum, aliquid Academica in cathedra differere, ita efflagitante Præcellente atque Eximio Domino JOH. BENED. METZLERO, Responſuro, elegimus thema de *pœnitentia lapsorum*, quod ista materia sit de tempore, & multa inter nos & adversarios controversa contineat; quod verò ut ex voto fiat cum nostrarum vitium non sit, sed DEI, igitur illum luminum Patrèm devotè invocamus, ut auxilio suo nobis præstet, quandoquidem speremus, nos exauditum iri. Amen!

§. I. Fundamentum nostræ Dissertationis erit locus Apocalypticus, ex primâ, quas Cornelius à Lapide in Apoc. vocat, epistola decretali, & quidem Cap. II. vers. 4. 5. qui in fontibus ita sonat: *αὐτὸς ἔχω κατάρα, ὅτι ἡ ἀγάπη καὶ πρῶτον ἀφ᾽ ἡμῶν. Μνημόνευτε ἔν, πέντε ἐπιπέλαγας, καὶ μετάνοσον, καὶ τὰ πρῶτα ἐργασθήσονται εἰ ἢ μὴ, ἔρχομαι σοὶ ταχέως, καὶ κινήσω τὴν λυχνίαν σου ἐν τῷ τόπῳ αὐτοῦ, ἐάν μὴ μετάνοήσῃς.* Vulgatus vertit: *Sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaq; unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac; sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Piscatoris versio hæc est: *Aber ich habe etwas wider dich/ nehmlich daß du deine erste Liebe verlassen hast. So gedencke nun/ wovon du gefallen bist/ und bekehre dich/ und thue die ersten Werke/ wo nicht/ so werde ich bald wider dich kommen/ und deinen Leuchter wegstoßen von seinem Ort/ wo du dich nicht bekehren wirst.* Soci-niana: *Aber ich habe wider dich/ daß du deine erste Liebe verlassen hast. So gedencke nun/ wovon du außgefallen bist/ und bekehre dich/ und thue die ersten Werke: wo aber nicht/ so komme ich dir bald/ und will deinen Leuchter von seinem Ort wegnehmen/ so du dich nicht bekehren wirst.* *Luthero nostro ita vertere visum est: Aber ich habe wider dich/ daß du die erste Liebe verlässest: Bedencke wovon*

du gefallen bist/ und thue Buße/ und thue die ersten Werke/ wo aber nicht/ werde ich dir kommen balde/ und deinen Leuchter wegstossen von seiner stätt/ wo du nicht Buße thust. Nolumus plures versiones adducere. Inter adductas est aliquod quidem discrimen, & etiam aliqua cum fontibus discrepantia, sed non tanta, ut thesi nostræ aliquid deroget, quare à scrupuloso earum examine consultò absteineamus, & ad rem ipsam progrediemur,

§. 2. *Objectum*, ad quod Filius DEI per Johannem suum ministrum literas exarari curavit, & simul *Subjectum* agendæ pœnitentiæ, est *Angelus Ephesina Ecclesia*; sic enim expressâ phrasi appellatur vers. 1. Quâ vero voce non intelligitur aliquis Spiritus eorum, qui à Paulo Apostolo vocantur Hebr. I. vers. 11. πνεύματα λειτουργικά ἐῖς Ἀγγέλων διακονίαν ἵνα διακονήσῃ μεθ' οὐσίας κληρονομήσῃ σωτηρίαν. *Spiritus ministri ad ministerium ablegati propter futuros æterna salutis hæredes.* Nam ut illi, jam in bono confirmati, non peccant, ita nec pœnitentiam de peccatis agere possunt, id quod probè observat Augustinus, dicens: *Non Angeli, qui in cœlo sunt, indigent pœnitentiâ, quare cum eodem intelligimus homines; sed homines, iniquente, qui sine peccato esse non possunt. Nam quia etiam Angelus nuncius interpretatur, quicumq; aut Episcopus, aut Presbyter, aut etiam Laicus de DEO loquitur, & quoquo modo ad vitam æternam annunciat, meritiò Angelus DEI dicitur.* Benè Hieronymus, explicans locum Mal. II. scribit: Angelus, i. e. nuncius, sacerdos DEI verissimè dicitur, quia DEI & hominum sequester est, ejusque ad populum nunciat voluntatem, & idcirco in sacerdotis pectore rationale est, & in rationali doctrina & veritas ponitur, ut discamus, sacerdotem doctum esse debere & præconem Dominicæ veritatis. Talis Angelus fuit Johannes Baptista, à Malachia prædictus cap. III, 1. & in N. Test. exhibitus. Marc. I, 2. Talis & hic noster, ad quem Filius DEI per Johannem rescripsit. vid. 2. Cor. V, 20. Apparet autem exinde, quod etiam Ecclesiæ ministri, licet essent Episcopi & summi, nihilominus sint reprehendendi, ubi ab officio suo recedunt, & secus quam par est faciunt. Id quod ipsùm Canonicum jus jubet. Loca, ut & scripturæ dicta Jes. LV, 10. Ezech. XXXIII, 6. Jer. IV, 9. &c. citat noster Hoc, Comm. in Apoc. f. m. 57. §. XIV.

§. 3. Quis verò fuerit iste Angelus, quæritur: Veteres communiter intellexerunt *Timotheum*; sic enim refert Lyranus: *Dicunt autem expositores communiter, quod iste fuit Timotheus, Pauli discipulus, quem constituit Episcopum Ephesina Ecclesia.* Et remittit lectorem ad prædicta ad 1. Tim. I. verba ejus erant hæc: *sciendum quod Apostolus ordinavit Timotheum & Episcopum Ecclesiam & idem in hac epistola instruit eum de iis qua pertinent ad episcopi officium.* Idem dixerat in Commentario ad Apocalypsis locum citatum, quod *beatus Johannes fuerit super omnes Episcopos Asia, cuius Ecclesias fundavit & rexit*; idque ex Catalogo Hieronymi. Confirmari potest ex Eusebio, qui scribit: *Τιμόθεος ἡγεμὼν τῆς ἐκκλησίας παρακλίας ἐπέστην πρῶτος τῆς Ἐφεσίου ἐκκλησίας ἐπισκοπῶν εἰληχέναι.* i. e. *Ex his Timotheus quidem Ephesina Ecclesia Episcopatum primus accepisse dicitur.* Quod quidem libenter dederimus (sicut & illud, quod etiam Onesimus ejusdem Ecclesie pastor fuerit; quod ex Epistola Ignatii ad ipsum idem Eusebius probat) Nam 2. Tim. IV. hæc habetur subscriptio: *Ad Timotheum altera τῆς ἐφεσίων ἐκκλησίας πρῶτον ἐπίσκοπον χειροτονηθέντα, primum Ephesorum Ecclesia ordinatum Episcopum &c.* & 1. Tim. I. 3. scripserat: *Quemadmodum rogavi Te, ut remaneres Ephesi, cum proficisceretur in Macedoniam, ita facito.* Ubi itidem *Ephesi* mentionem facit autor, quod nempe ibidem locorum remanere rogaverit Timotheum; idque factum esse potuit. Sicut autem de hoc nemo adeo dubitaverit, id tamen adhuc quæritur, an ad eum ipsum Johannis epistola fuerit exarata? Certè nostro B. Dn. D. Hoë, non est verisimile ad hunc exaratam esse epistolam, quod certum esset, si constaret, quod alii dicunt, & Paræus in comment. h. l. refert: *Timotheum, priusquam Johannes relegeretur in Pathmum, martyrio coronatum fuisse*; unde nec huic verisimile videtur, *Timotheum illum, cuius tam eximia laudes epistolis Paulinis continentur, tantæ censura subjacuisse.* Putat autem omissionem primæ caritatis & casum flebilem, de quibus ad ipsum scripserat Johannes: *Quamvis absconum non sit, viros etiam præstantes, ut fuit Timotheus, in peccata labi: si fuit Timotheus, iterum scribit Paræus, quod contra Lyram, Riberam, Pererium contendit Alcasar, exemplum est regula: quandoq; bonus dormitat Homerus.* ut proinde non concludat argumentum Cornelli à Lapide: *verum quis credat hac de Timotheo & Præsertim cum hic*

*eius patientia Zelus & illustria opera non tantum præterita, sed & præsentia commendentur? f. 37. D. Ribera quoque aliam Lyrano, & aliam Alcafari sententiam tribuit, scribens: Lyranus ait, expositores dicere communiter, hunc Episcopum Ephesi esse Timotheum comitem & discipulum Pauli. Quæ vero veterum sententia displicet*

*» Riberae, sane, enim scribit, præterquam quod indignum videtur,*

*» eam negligentia & peccati notam inureret tanto martyri, & dile-*

*» cto Pauli discipulo, tempora non conveniunt: Nam eum qui-*

*» dam sub Nerone martyrio coronatum fuisse tradunt, multò ante-*

*» quam Apostolus (nempe Johannes) relegaretur in Patrum, aut*

*» certè, si verum est, quod Simeon Metaphrastes scribit in ejus vita,*

*» dum Apostolus erat in exilio, Timotheus egregiè pro pietate cer-*

*» tans, martyrii coronam accepit; Quomodo ergo in eum dici*

*» poterat: Habeo adversum Te, quod charitatem tuam primam*

*» reliquisti, & quæ sequuntur? Denique Lyranus ipse postea in il-*

*» lud: Movebo candelabrum tuum &c. negat, hunc fuisse san-*

*» ctum Timotheum. Quod argumentum habet ex Chronologia.*

*Repudiat Cornelius à Lapide, fautor contrariæ sententiæ. Nam hoc tempore, inquit, non alius fuit Episcopus Ephesi, quam S. Timotheus. Nam S. Paulus scripsit Epistolam ad Timotheum, quasi ad Episcopum Ephesi, anno Christi LVII. Hac autem scripsit Johannis anno Christi XCVII. Timotheus verò obiit Episcopus Ephesi anno Christi CLX. qui fuit decimus Trajani. Tunc enim successit ei in Episcopatu Ephesino Onesimus, quem Philemæi scribens, commendat S. Paulus. Unde eodem anno Christi CLX. scribens ad Ephesios S. Ignatius, post Timotheum meminit Onesimi, tanquam jam recentia eorum Episcopi. Errant ergò, qui ex Metaphraste contendunt, Timotheum ante hæc tempora sub Domitiano occisum esse. Nam post hæc tempora S. Dionysius Arcopagita plerosq. suos libros scripsit, & inscripsit huic Timotheo. Ad argumentum Ribera respondebo vers. 4.*

*In contrarium verba Lyrani sunt hæc: Illi, qui dicunt, quod Timotheus hic intelligitur Ephesi Ecclesia, moventur ex hac, circa illa tempora nullus eò excellentior invenitur rexisse Ecclesiam: At hoc magis movet ad oppositum, quod tempore Prælati excellentioris minus contingunt defectus in Ecclesia sibi commissa: propter quod salvò meliori iudicio magis videtur, quod fuerit alius à Sancto Timotheo. Noster Dn. D. Hoë, superioribus subjungit scribens: Quia Jo-*

*hanna*

hannes ad alium jam scribit, sequitur, quod vivus successorem habuerit, propter exilium, in quod à Domitiano deportatus fuit. Quis autem ille successor fuerit, non ita manifestè constat. Polycrates adversus victorem, Ecclesia Romana Episcopum, scribens, gloriatur, se octavum ex septem per ordinem Ephesina Ecclesia Episcopis natum, eisdem Ecclesia Episcopum esse. Euseb. L. V. c. 24. Egnatius (forte Ignatius) Antiochenus Episcopus laudat in quadam Epistola Onesimum, eumq; Ecclesia Ephesina Episcopum vocat. Addit, quod & nobis placet: Sed parum refert, etsi nomen ignoramus: sufficit, quod Ephesi illum fuisse Episcopum percipimus, ad quem Epistola illa prima exaratur. Si Spiritus S. voluisset ipsius nos nomen nosse addidisset.

§. 4. Majoris momenti res est de eo, solus ne ille Episcopus intelligatur, an verò præter ipsum etiam Ecclesia Ephesina? Posterius hoc affirmamus, eò quod comminatio: *Et movebo candela-  
brum tuum de loco tuo*, attineat non ipsum solum, sed etiam Ecclesiam, quæ verò pœnas dare non posset delicti, ad solum Episcopum pertinentis: Et licet regeratur, ad unum solum Episcopum dirigi literas, earumque verba, tamen etiam alibi ejusmodi *ἐπιπολις* est numerorum. Hoc ipso Cap. II. v. 10. leguntur hæc verba: *Nihil horum timeas, quæ passurus es* (quæ verba unum respiciunt Episcopum) & tamen sequitur: *Ecce missurus est Diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut sentemini, Et habebitis afflictionem dierum decem.* Quibus verbis plures putat. Sic vers. 19. ad Thyatirenses perscribens, variat itidem in numeris. Nam ait: *Vobis autem dico, Et reliquis, qui sunt Thyatiris, quicumq; non habent doctrinam hanc &c.* Sic plures putat, & tamen antea solum Episcopum nominarat. E. non unus solum, sed plures sunt. Et sequimur sententiam B. Dn. D. Hoë, in scrupulo ad h. l. Et hodierni Concionatoris primarii in aula Saxonica, Dn. D. Johannis Andree Lucii, Patroni, atque Fautoris nostri plurimum colendi, in Comment. ad Apoc. I. cit. fol. 137. Nec non Dn. D. Cluverii, Comm. h. l. qui alias quoque rationes addit. Nec nobis displicet sententia Cornelii à Lapide, scribentis: *Hinc incipit epistola Christi ad Episcopum Ephesinum, Et sub ejus persona ad quemvis pastorem Et Prælatum. Imo ad quemcunq; fidelem qui in Christo charitatis ardore refrigit.* Posset & illud quæri: an hic

*Episcopus antea fuerit baptizatus & fidelis?* nisi cuivis id obvium esset, qui consideraret, quod incongruum esset aliquem baptizare alium, (quod officium Episcoporum est) & ipsum non esse baptizatum; & dici non posse, cecidisse, nisi qui antea steterit: quare utrumque affirmamus.

§. 5. Subjecti hujus *vitium* fuit: Charitatis primæ relictio. Quæ fuerit illa charitas? quæritur. Sunt, qui putant, esse solum illum laudabilem affectum, quo complectimur proximum, & pertinet ad secundam Decalogi Tabulam: nominatim de sola erga egenos beneficentia intelligi Andreas Cæsarensis; & Arethas putant. Hugo Cardinalis censet, Episcopum istum remisisse de suo concionandi ardore, cum vidisset, sese apud auditores nihil proficere: Blasius Viegas existimat, hunc Episcopum non amisisse charitatem, sed solum de charitatis fervore non nihil remisisse; idque vult probare ex textu, quod dicatur reliquisse charitatem *primam*; & paulo inferius: *prima opera jubetur facere, ex quo argumentatur Richardus de Sancto Victore, hunc Episcopum, in gratia quidem acceptâ perstitisse, Sed nimis securè vixisse, quædamq; oscitanter egisse; itaq; à culmine perfectionis ad inferiorem virtutis gradum per incuriam delapsum fuisse, pro quâ sententia laudat Aretham, Joachimum, Lyranum, Pannonium, Hugonem Cardinalem, & Dionysium Carthusianum. Ambrosius, vel quisquis autor est, commentarii in Apocalypsin, generatim intelligit de tepore in bonis operibus; Cornelius à Lapide in eadem sententia est, & dicit, peccatum ejus fuisse non lethale sed veniale: postquam prolixè dixisset, quod illud fuerit. Non displicet hæc sententia Paræo, qui itidem intelligit solum de gradibus, non verò de ipsa charitate, de ambitione præsertim, & avaritia, solennibus Episcoporum vitiis; observandum, inquit, primo etiam bonos in multis deficere, stimulis egere, reprehensiones mereri, quando vel affectu bono sunt remissi, vel curis seculi, cupiditate honorum & opum superantur &c. Et paulò post: secundò observa, duo ferè vitia Episcopis inimica, magisq; cavendâ esse, ambitionem & avaritiam &c. Illustrat exemplo discipulorum Christi de primatu contendentium; maximè id contendit in sequentibus, ubi negat, verè sanctos fide & charitate penitus excidere posse.*

§. 6. Nostra sententia Ephesus Episcopus defecit non solum ab una charitatis specie, sive actu, sed etiam à tota illa egregia virtute, cum eâ, quæ DEUM, tum ea, quæ proximum complectitur; & consequenter ab omnibus ejus connexis & consequentibus quæ sunt gravissima peccata. Neque solum à gradu eminentione aliquo, salvâ re ipsa, sed etiam ab ipsa virtute. Et iterum sequimur hac in parte sententiam Dn.D. Lucii, qui Com. in h.l. scribit: Durch diese Liebe wird nicht allein verstanden die Liebe gegen die Armen und Exulanten, als da sind Almosen/ und andere Werke der Barmherzigkeit/ sondern auch zugleich die ganze Christliche Liebe/ und was zu derselbigen gehöret/ nemlich die Liebe gegen Gott/ und den Nächsten/ welche ist die Mutter und Königin aller Tugenden/ und die Quell aller guten Werke. Gal. V, 6. 1. Cor. XIII. 1. sqq. &c. Et probamus hanc nostram sententiam ab ipsius textus litera. Nam Apostolus ait (1.) τὴν ἀγάπην, charitatem ipsam, non verò charitatis aliquem vel gradum, vel speciem solam. Deinde (2.) dicit ἀφῆκας, reliquisti, quod propriè notat derelictionem, non remissionem, ut Christum reliquit Satanas Matth. IV, 11. Filii Zebedei navem, retia & parentem, vers. 22. & nos petimus, ut DEUS remittat nobis nostra peccata, C. VI, 12, & vult nos proximo sua quoque remittere v. 15. &c. (3.) ἐκπέπλωκας, excidisti, ait, Quæ vox iterum totalem defectum denotat, uti Marc. XIII, 25. de stellis decidentibus, Act. XII, 7. de catenis de manibus Petri decidentibus, de flore excidente. Paulus 1. Cor. XIII, 8. ait, charitas οὐκ ἐκπίπτει non excidit, ita scilicet, ut charitas vera maneat, ubi ergò excidit, desinit esse charitas, & cum charitate fides, quæ per charitatem est ἐνεργησάμενη operosa Gal. V, 6. (4.) Pœnitentiam requirit, & eam quidem per quam recipiatur gratia, quæ verò iterum non de gradibus remissioribus sit, quàm de re ipsa, intelligenda. Quare probamus sententiam nostri Cluveri: Non id solum observari velim cum Paræo etiam bonos in multis deficere, stimulis egere, reprehensiones mereri; sed illud etiam Paræo, ejusque fociis inimicum, verè renatos, seu, ut Divus Petrus loquitur. τὸν ὄντως ἄποφυγότα ἐν πάντῃ ἀνασπασομέως καὶ τὰ μιάσματά τῆς ἡσυχίας, qualis erat hic Angelus, tam eximie ab ipso DEI Filio collaudatus, posse peccare, & labi mortali-



„ ter, adeò ut nisi pœnitentiam agant, gratia DEI finaliter excidant.  
 „ Talem enim fuisse hunc Angeli Ephesini lapsum è vers. s. perspi-  
 „ cum est.

§. 7. Neque obstat (1.) vocabulum ἡ πρώτη. Nam *ordi-  
 nis* illud est non *gradus*, si vim vocis respicias. Contingit quidem  
 aliquando, ut quod *primum* est, etiam sit *intensius*, sed id neque  
 semper est, neque vi vocis est. Facilius id quidem dixerit aliquis  
 istorum, quod Petrus vocetur πρώτη ὁ πρῶτος, *primus*, Matth. X, 2. & eli-  
 cere vellet. etiam qualitate & excellentia alios antecedere; sed  
 nemo Paræus talem consequentiam admisit. Neque (2.) quod  
 etiam Pii, in specie Episcopi, fiant gradu pietatis, vel diligentia  
 & laboris, remissiores; Nam quæstio est; utrum h. l. talis (olum-  
 modo remissio sit intelligenda? quod nos negamus. neque licet  
 ab uno loco ad alterum argumentari, ubi paritatem parallelam  
 non videmus.

§. 8. Effectus derelictionis istius est *excidium*, ut sic lo-  
 quar. Nam ait: ἐν πρώτῳ: in quâ voce notandus est *terminus*,  
 unde, qui expressè ponitur: πρῶτος; Quæritur igitur, quidnam il-  
 lud sit, unde Episcopus exciderat? Respondemus (1.) unde *cha-  
 ritas nascitur*, quæ verò nascitur ex gratia DEI, per quam homo  
 afficitur beneficiis divinis, quæ in ipso producant amorem filia-  
 lem erga parentem tam beneficum, & fratres sororesque suas Spi-  
 rituales; ut adeo, qui relinquit charitatem excidat etiam ex gra-  
 tia apud DEUM, nec amplius apud istam sit gratiofus. (2.) ex  
*vera fide, tranquillitate conscientia, & spiritali gaudio*: quæ nal-  
 cuntur ex illâ gratiâ, ejusque beneficiis, Apostoli vox est: justifi-  
 cati ex fide pacem habemus ad DEUM per Dominum nostrum  
 JESUM Christum, Rom. V, 1. quare, qui excidit charitate, excidit  
 etiam fide, & fidei sive adjunctis, sive effectis. (3.) *ex jure ad vi-  
 tam æternam, ejusdemq, aliquando hereditate*. Fides est per chari-  
 tatem efficax atque operosa: quare qui deficit in charitate deficit  
 etiam in fide; sublato consequente necessariò tollitur etiam an-  
 tecedens; Et ubi respiratio aliqua non est in corpore, ibidem nec  
 animam esse censetur: charitas antecedens est vitæ æternæ, &  
 nota salvandorum qui scilicet per opera charitatis suam fidem aliis  
 comprobant. Judex vivorum & mortuorum dicet aliquan-  
 do collocatis ad sinistram: Esuriivi, nec mihi dedistis quod ede-  
 rem,



rem, & sitiivi, neque dedistis quod biberem &c. quare, ite in ignem æternum, præparatum diabolo & ejus Angelis. Matt.xxv.

§. 9. Displacent hæc *Paræo*; Nam sugillat nostrum hinc petitum argumentum, & sequelam aliquam pro Pontificiis hinc facit, si quidem hinc constaret, aliquem gratia prorsus posse excidere. En ipsius verba: *Hinc sequi videtur, etiam verè sanctos, fide & charitate penitus posse excidere, & perire. Solet etiam hinc colligi, cum charitate tam bonus Episcopus exciderit, incertam igitur esse gratiam, incertam fidem, incertam justificationem, incertam perseverantiam, incertam salutem: semper igitur de gratia, fide, justificatione, perseverantia, salute formidandum, dubitandum. Quod profecto ita se haberet, si verum esset, istum penitus excidisse: neq; possunt ulla specie certitudinem fidei, gratia & salutis sua ineri, qui certitudinem perseverantia sua indubium revocant. Hæc ille, pungens nos Evangelicos.*

§. 10. Expendamus isthæc paulisper, & quidem (1.) non solum *videtur* huic sequi possibilitas labendi, excidendi & pereundi, sed etiam *reverà* sequitur uti §.6. & 8. ostensum; neq; negare potest potentiam rei, qui actum iptum secundum concedere cogitur. 1. Tim. I. 19. 20. notantur Hymeneus & Philetus, inter alios, qui fidem & bonam conscientiam à sese repulerint, & fidei naufragium fecerint. Non potest quis repellere, nisi quod habet, vel habere posset, aut naufragiū facere, nisi compos navis & mercium; quare nec fidei naufragium facere potuissent illi, nisi habuissent eam. Rom. XI. 11. dicuntur Judæi *cecidisse* (*ἐπτώσαν*) quare antea *stetisse* eos necesse est; Dicuntur illi ipsi *confracti* esse (*ἐξερλάθησαν*) E. antea erant integri, & arbori mysticæ inertī; Idem cavet v. 20. aliis, qui per fidem stent, ut videant, ne *cadant*, aut *confringantur*. quâ admonitione opus, non fuisset, si semel stantes non possent cadere, & omninò excidere, ut non opus est Angelos in bono jam confirmatos, monere, ne peccando à DEO desciscant, & à statu gratiæ in statum iræ transferantur.

§. 11. (2.) Non omne *possibile* (nam de hoc nunc loquimur) infert *incertitudinem*; possibile est, ut vita nostra per mortem tollatur; non tamen ideo incerta illa est. Certè novi me vivere, etsi nesciam, quo usque mea vita sit duratura; ita certò novi, ex sensu fidei, & fidei fructuum, bonorum operum, quod sim in

gratia DEI; ut enim impossibile est sine fide DEO placere. Hebr. XI, 6. ita impossibile est cum fide DEO displicere, quia fides apprehendit eum, per & propter quem DEO placemus, nempe Christum; qui est unde omnes ex plenitudine ejus accipimus gratiam pro gratia. Joh. I, 16. Etsi nesciam, quantum ex me est, an in illâ gratia apud DEUM, sim perseveraturus. Dico, *quantum ex me est*. Nam in certitudine nostrâ vel gratiæ, vel salutis non possumus niti nostris vel operibus, vel meritis, vel aliquâ dignitate activa; sed fundamentum debemus quærere in gratiâ DEI Patris, quæ nunquam nobis denegatur vel aufertur, nisi id nostrismet peccatis fuerimus meriti; sed nec peccatis nos ex aliqua suâ voluntate facit obnoxios, ut Diabolus, mundus & caro nos tentant & vincunt; Nititur præterea etiam meritò Christi, qui de suo fecit & passus est, quæ nos debebamus, & eadem nobis imputat per solam fidem. Rom. III, 24. Insuper universali gratia Spiritus Sancti, qui ut omnes ex æquo vult salvos, voluntate antecedente, ita etiam salutis media, verbum & sacramenta, omnibus efficaci mensura & gratia admetitur, & quantum in sese est nihil omittit quod hominem salvare posset.

§. 12. Inter formidinem & dubitationem anxiam, & inter certitudinem absolutam, veriùs securitatem carnalem, est aliqua tertia, nempe certitudo *ordinata*, quæ includit media, divinitus ordinata, & ex illis mediis habet aliquam fiduciam, quæ durat donec illa media fuerint, nec sibi metuit à divinâ aliqua absolutâ voluntate, vel odio, vel impotentia, vel alio aliquo malo, quod sua ipse improbitate non irritaverit, sic medium tenemus inter duo extrema, & salutem nostram operamur cum timore & tremore. Phil. II. v. 12.

§. 13. Pergit Pareus, & laudat *Riberam & Alcasarem*, quod *mitigarint dictum*, dicentes: *non omnino charitatem hanc amisisse, qui tanta cum Christo etiam tum perferebat, sed multum de illius fervore remississe*. Sed mitigandum non est, quod Spiritus S. dixit rigidè, ut hoc dixit, quod Episcopus Ephesinus *reliquerit*, quod *exciderit*, quod *pœnitentiam* agere debeat, quod in periculo esset *ablationis* candelabri; quarum vocum Emphasis certè non patitur aliquam mitigationem. Quod *tum* perferebat, non dicit textus, certè non cogit, id tum factum fuisse. Nam dicit ἐλάττωσε, *portasti*,

*portasti*; quæ etiam præteriti potest esse significatio; Et esto, *tum* portasse, nihil tamen inde pro fide ipsius, & bonis operibus concluditur; quia dona administrantia, ut erat ille Zelus, etiam in irrogenitis esse possunt. ut ex Matth. VII, 22. Rom. X, 2. &c. colligere est.

§. 14. *Idem rem ita declarat.* Sed utinam probasset! Nam hoc opus est, non isto, re clara fatis. Sed audiamus declarationem: *Sancti, inquit, sibi relictæ, fide, charitate, perseverantia & salute nimium possunt excidere.* Concedimus ultro, neque de hoc est quæstio. *Si quidem sola causa proxima, mutabilitas liberi arbitrii, imbecillitas virium humanarum, astutia & potentia Satana, scandala mundi &c. spectentur.* Quid enim adversus hoc valeat humana Sanctorum infirmitas, à quibus nihil humani alienum est, quamdiu carnem circumferunt? Verissima hæc sunt, & probantur ex locis allegatis Rom. XI, 20. Matth. XXVI, 41. 1. Cor. X, 12. 1. Pet. V, 8. nisi quod illa dicta contra lapsum caveant etiam illis, qui gratiam DEI jam habebant & stabant fide, & spiritu valebant, & à Satana sibi cavere poterant; adeoque confirment nostram sententiam de possibilitate labendi etiam eorum, qui revera stant, & apud DEUM sunt gratiosi. *Sanctos in actibus fidei & charitatis sæpe languescere,* nobis non sufficit dici & dari. Nam hic languor stare potest cum fide justificante; sicut nec gradu *desicere*, quod itidem largiter Pareus, sufficit; Nam & fessî deficiunt, ut Israëlita in deserto, qui tamen adhuc erant vivi; Nisi *desicere* idem sit, quod *contumelia*, ut flos deficit, si amittitur, flaccescit, & plane emoritur; *Spiritus Sanctus* cum maximè *contristatur*, cum ejicitur & cedere cogitur, quod fit apud eos, qui *τὸ πνεῦμα ἅγιον ἐπέσπον.* *Spiritum gratia contumelia affecerunt* Heb. X, 29. Sicut & *conscientia bona in malis actibus plane amittitur.* Si mali isti actus expellunt Spiritum Sanctum, & salute æternâ hominem privant. 1. Cor. VI, 9. 10. Gal. V, 19. 20. 21.

§. 15. Videt Pareus, hæc hæctenus à sese dicta statum controversiæ inter nos & adversarios non ferire, quare propius ad rem concedit, de qua quæstio sit, nempe *de immutabili DEI proposito de electis servandis*, quod propositum ille cum suis facit *absolutum*, ita ut DEUS nullo motu præviso Christi meritò, & fide perseverante apprehenso, & servatò, constituerit secum ali-

quos

quos hominum eligere, quos in tempore serio vocatos, efficaciter conversos, potenter servatos, aliquando salvaret; Huic decreto subordinat *efficacissimam Christi intercessionem pro electorum fide, perseverantia & salute*: quam verò intelligit efficacissimam non solum in eventu, sed etiam in *se*, aded, ut per ipsum, intercessio Christi pro reprobis in *se* non sit seria vel efficac; sicut est pro electis, quandoquidem DEUS hos velit salvare, istos non itidem. Non vero intercessionem *solam*, voluit, vel debuit dicere, sed etiam *meritum*, per quod, quantum in *se* est, *omne* genus hominum *efficaciter* salvavit. Est enim Salvator *omnium* hominum, maximè fidelium. 1. Tim. IV, 10. Et vult *omnes* salvati, & ad agnitionem veritatis pervenire. cap. II, 4. qui & pro *omnibus* redimendis *se* dedit, ver. 6. & id pretiosè. 1. Petr. I, 19. adeoque qui hoc sanguine non salvatur, culpam imputet, non sanguini, per quem est sanctificatus. Heb. X, 29. Sed sibi ipsi, qui pedibus Filium DEI calcavit, & sanguinem novi fœderis profanavit, & Spiritum Sanctum contumelia affecerit. Subordinat porro & *Dei virtutem, qua electi in fide ad finem usq. custodiuntur*, quod quidem verum est. Nam id 1. Petr. I, 5. loco allegato extat; Illam vero DEI virtutem esse *absolutam & irresistibilem*, de quo quaestio est, & illi affirmant, id vero Petrus neque allegato, neque alio loco, neque tota scriptura uspiam dicit. Quare negamus, quod ille contendit: *non posse electos fideles penitus & finaliter, fidei & charitatis habitu & actu ita excidere, ut hostes DEI evadant & pereant.*

§. 16. Audiamus autem dicta scripturae, quae pro hac sua sententia stabilienda profert. Putat autem ille *Scripturam S. perspicuè & constanter id docere*: quod nos non statuimus, credentes, quod scriptura sacra tale quid nequidem *doceat*, nedum ut *perspicuè & constanter*. Quid enim illa dat? *Qui ex Deo genitus est, non peccat*, allegat ex 1. Joh. III, 9. & explicat, nempe *totam voluntatem, & ad mortem*, & addit reliqua Apostoli. ac ne potest quidem, quia semen DEI manet in eo. Sed non animadvertit bonus vir, quod Johannes loquatur de pio in sensu *composito*, quod ajunt Philosophi, considerato, quo sensu utique non potest peccare ad mortem, quia fides, quae stare potest cum peccatis infirmitatis, prohibet per Christi meritum, à se apprehensum, veluti antidotum, quo minus peccanti suum peccatum imputetur ad mortem.

Rom. V, 1. Nam in sensu diviso potest ita peccare, ut peccavit David, adulter & homicida, & propterea vocatur *vir mortis*. 2. Sam. XII, 7. quæ pœna cuiusvis, quicumque fuerit, talia designantis dictata est. 1. Cor. VI, 9. 10. Gal. V, 19. 20. Imo Johannes ipse dicit, si dixerimus, quod peccatum non habemus, (1. Joh. I, 8.) mendaces nos esse; cujus omnis peccati stipendium mors est. Rom. VI, 23.

§. 17. Nec majoris efficaciz est dictum porro allegatum Matth. XXIV, 24. *impossibile est. in errorem (damnabilem & finaliter, ita ille addit, & dicta explicare vult) seduci electos*. Nam hoc quoque dictum non probat, quod in controversia est; in quâ est: An ex immutabili DEI decreto salvandi electos, (ut §. 15. explicatum est) electi non possint seduci? Quod Pareus affirmat, nos negamus, dicentes, quod electi non possint seduci, scilicet finaliter, idq; necessitatis *consequencia*, & *hypothetica*, non vero consequentis, & causæ alicujus antecedentis divinæ esse; esse infallibilem *eventum*, qui DEUM infallibiliter præscium fugere non possit; Non vero immutabilem, à parte ante, *effectum*. Quod DEUS præscit, & supposita scientia decrevit, id infallibiliter futurum est; etsi causæ, in se & sensu diviso, sint fallibiles, & mutabiles.

§. 18. Porro allegat pro sese verba Christi Joh. X, 28. *Oves meas nemo rapiet ex manu mea: Et ego do eis vitam æternam*; item verba ejusdem ad Petrum Luc. XXII, 32. *Ego rogavi pro Te, ne deficiat fides tua; ex Jer. XLII. 20. verba DEI: Dabo timorem meum in corda eorum, ut non recedant à me. cum explicatione Augustini: ut mihi perseveranter adhareant. Verba Psalms Pl. CXXV, 1. qui confidunt in Domino, stant immoti, ut mons Zion; ex Matt. VII, 25. edificati super petram, non corrunt. Pl. XXXVII, 24. ubi David scribit: Justus si ceciderit non colliditur, quia Dominus supponit manum. Claudis verbis Petri: Qui virtute DEI custodimini per fidem ad salutem, qua parata est patefieri &c. 1. Pet. I, 5.*

§. 19. In compendio & simul hæc allegare volumus, quia breviter ad ea responderi potest. Ad (1.) non est quæstio, an sint quædam Christi oves, quas nemo ex ejus manu rapiet? Quod concedimus, qui scimus esse, qui in fide semel accepta perseverant, & in ea beatè moriuntur; hos certe nulla Diaboli vis, vel mundi potentia ex manu DEI rapiet; sed quæstio est: annon rapere

C

potuif-

*potuissent*, si oves istæ ex manibus Christi per spontanea peccata sese posuissent? Dat illis Christus *vitam æternam*, sed supposita ipsorum *fide*, cujus vita æterna finis est. 1. Pet. I, 9. Ad (2.) rogavit Christus pro Petro, ne recideret ipsius fides *finaliter*; nec contigit, non ex aliqua DEI *absoluta* voluntate, & intercessione Christi prorsus *irresistibiliter* efficaci, sed ex *pœnitentia*, quam Petrus eger, cum Christus ipsum respexisset, & ille istum magistri sui respectum veluti organum in sese operari permisisset. Ad (3.) divinus utique fuit timor, & inde fuit etiam virtus manendi cum seu apud DEUM; inde idem fuit etiam perseverans eorundem adhæsiō; sed quæstio est, an ex *absoluto* quodam decreto, & *irresistibili* influxu inde? non autem an ex DEO, & non ex hominibus virtus illa & efficacia fuerit? Ad (4.) Itidem non est quæstio, an fideles, in sensu composito considerati, de facto in Domino stent immoti, ut mons Zion? quod illud dictum dicit & nos concedimus; sed an *absolutè* sint immobiles, & stent, quicquid etiam egerint? quod negamus. Nam habemus, proh dolor! multos, qui de loco moti fuerunt, uti ex 1. Tim: 1, 19, 20, paulò ante ostendimus. Ad (5.) eadem responsio quadrat. Nam describit, quid sint illi, qui per fidem in Jesum Christum fundati, & extructi sunt; non verò quid *possint* esse? Et annon petram istam deserere possint? Ad (6.) & ultimum dictum jam responsum est.

§. 20. Doctrina nostra, de possibilitate labendi, non est *Pelagiana Sanctorum Apostasia à fide*; qui nunquam legi, Pelagianos olim propterea fuisse reprehensos, aut hæreticos postularos à quocumque, quod statuerint, aliquem sanctum, fide divina & vera præditum, posse à fide deficere & damnari; Legi potius, ipsos naturæ viribus, vel certe hominum, gratia DEI præventorum, operibus æternam salutem adscripsisse. videtur igitur, ubi legerit Pareus isthæc & delinat Evangelicis Pelagianismum attribuere. Convellunt isthæc *Tridentinam deceptionis formidinem atq; dubitationem de gratia & salute*; quod ille dicit, per nos licet; Nam eam ipsam Pontificiorum sententiam improbamus; Non confirmare autem perseverantiam sanctorum, ut quidem Calviniani eam statuunt, statuimus. *Gratiam DEI & eventum* confirmant, non autem gratiam *absolutam* & necessariam & irresistibilem *effectum*; qui est status controversiæ inter nos & istos.

§. 21. Sed redeamus ad textum, in quo occurrit *remedium*, (quandoquidem DEUS neminem vult perire, sed omnes ad pœnitentiam converti 2. Pet. III, 9. & vivere. Ezech. XXXIII, 11.) quod Christus per Johannem suum lapso suppeditat, nempe μετανοια, *pœnitentiam*. Nam jubet ipsum μετνοειν, *pœnitentiam agere*, seu *respicere*. Μετανοια significat aliam mentem, quam prior fuit, & ejus mutationem. Hebræi vocant תשובה q. d. *reversionem* vid. Jer. II, 13. XXXI, 21. eò quod mens peccando à vera via, quæ est verbum DEI, digrediarur, pœnitendo autem ad eam, fide reducens, revertatur, id quod fit in animo. Quare nota, quod aliud sit mentis *actus internus & elicitus*, aliud istius actus *signa* atque *indicia*, *externis* motibus & gestibus veluti *imperata*. Hæc non sunt, nisi μετανουιας pœnitentia, & hoc loco præcisè non intelliguntur. Nam mente quis pœnitentiam agere potest, etsi illa in actum externum non prodeat. Iste vero proprii nominis est pœnitentia, & constat ex contritione & fide. Contritio excitatur remissionem bonorum olim possessorum. Jam Johannes vult, nos in memoriam nobis revocare, unde exciderimus. Fides autem spe gratiæ, quam idem innuit, cum spem facit candelabri non movendi, ubi pœnitentia fuerit acta, nascitur. Innuit & vox μετανοια, quod reversionem vertunt, Hebræi תשובה vocant, quod fit fide, & fiducia ad DEUM. Cujus, ut & pœnitentiæ, *fructus* (ut Johannes vocat Matth. III, 8.) sunt *bona opera*, e. g. charitatis erga proximum. utrumque innuit Johannes, cum ipsam pœnitentiam, tum pœnitentiæ *fructus*. Nam non solum dicit: μετνοειν; sed etiam περὶ τὰ ἔργα ποιῶν; *priora opera fac*, quæ docent animum esse mutatum, quod vox μετανοια indicat; eò quod & *impœnitentia & infidelitate*, malis quoque *operibus*, gratia DEI excidamus, & æternâ salute privemur: *Remedium* hoc suis quoque auditoribus præscripsit Petrus Act. II, 38. Cum enim *interrogarent*, quid faciendum esset, postquam Messiam sustulissent? *respondit*, agerent pœnitentiam, id quæ subsecuto actu Baptismi confirmarent; id quod illico fecerunt. Jam olim in Psalmis Davidicis præsertim hoc remedium reperitur.

§. 22. Consequitur hinc, quod pœnitentia sit necessaria cum *præcepti*, tum *medij* necessitate; Istius quod DEUS *jubeat*; hujus, quod sit *remedium* adyersus peccata admilla. Nimirum



*fides*, quæ altera & præcipua pœnitentiæ pars est, apprehendit Christi meritum, & applicat pœnitenti, & impetrat per illud remissionem & culpæ & pœnæ. *Exemplo* sit David. Cum ille peccatum suum agnovisset, Deique gratiam sibi applicuisset, i.e. pœnitentiam egisset, DEUS ab ipso peccatum, & peccati pœnam propriè sic dictam, per Nathanem suum ministrum transtulit. 2. Sam. XII, 13. Similiter Johannes, pœnitentiam nomine DEI dictitans, suggessit *medium*, per quod Ephesus Episcopus suâ & culpâ & culpæ pœnâ liberaretur. Nec obstat, quod bonorum quoque operum mentionem faciat, tanquam illa essent medium placandi iram divinam & impetrandi gratiam. Nam hoc unius fidei beneficium est, de qua vero bona opera testantur. *DEUS*, ait noster Cluverus, *sepenumero, quando peccatoribus conversionem præcipit, conversisq; vitam aternam promittit, non expressè fidei nomine ex operibus, quæ nominatim exigit, tanquam individuis & genuinis fidei fructibus, seriam sese estimaturum pœnitentiam indicat.* Interea accuratè illud remedium ad animum revocandum est, quandoquidem DEUS moneat: *μνημόνευε*, memento, & quidem unde excideris, non solùm proximè peccati, sed etiam remotè, lapsus Adami, ante quod omnes evecti eramus ad imaginem DEI, per peccatum autem etiam nostrum eo excideramus. Rom. V, 12.

§. 23. *Contrarium* pœnitentiæ est *impœnitentia*, quam insinuat Johannes, sive Christus per Johannem, cùm inquit: *εἰ δὲ μὴ, si verò non.* quod fit, si vel peccatum non agnoscitur, & cor agnoscens non conteritur, & admissum dolet, vel dolorem fide non temperat, ut ejus ope Christi justitia apprehendatur, quæ & culpam & pœnam debeat.

§. 24. *Impœnitentiæ* hujus *pœna* dictitatur remotio candelabri de loco suo; Nam ita loquitur Apostolus, vel Christus per Apostolum: *κινήσω ἢ λυχνίαν σὺ ἐν ᾧ τέπας αὐτῆς: movebo candelabrum de loco suo.* Quæritur, quid per *λυχνίαν* intelligatur? Sunt qui putant, intelligi ipsam solum Episcopi thronum, officium & dignitatem; sed displicet hoc aliis, & merito. Nam *Subjectum* lucis mysticæ est Ecclesia, per *ministerium* dispensandæ, adumbrante *Candelabro Levitico*, quod septem suis Phyalis, seu elychniis repræsentabat Ecclesiam, donis Spiritus S. illustrem. Quare unanimi ferè consensu interpretum *candelabrum* significa-



re dicitur *Ecclesiam* cum suo ministerio, quæ de loco suo movetur, cum *ministerium* vel malam doctrinam proponit, vel propositam doctrinam scandalosa vita deturpat, nec legitimo modo respiscit. confer Jes. III, 2. Amos. VIII, 9. Iqq. Matth. XXI, 10.

§. 25. Pœna hæc est divina; quam *Christus*, iudex divinitus constitutus Gen. XVIII, 25. Joh. V, 22. irrogat. — Adventus ejus judicialis describitur verbis: ἐρχομαι σοι ταχέι, *venio tibi cito*; Neque enim ejus præsentia simpliciter intelligitur, quippe qui *generalis* illa sua præsentia cœlum & terram implet. Eph. IV, 40. Sed *Specialis* ille præsentia modus, quo fontes punit: Et olim, cum de cœlo descenderet, ut videret, quid structores turris Babelicæ molirentur. Gen. XI, 5. Confer Pl. XLIX, 3. Jes. XLVII, 13. Ezech. VII, 3. Iqq. *Loco* ille movet *Candelabrum*, cum justo iudicio auferit ex aliquo loco ministerium cum suo verbo & Sacramentis, adeoque media salutis ordinaria, & permittit falsos doctores cum mendaciis suis recipi, & prævalere; quem quidem actum *Propheta* ille non probat. Nam probat solum locationem & receptionem alicujus talis candelabri; at tamen, si non eo, quo par est modo, illud ipsius candelabrum vel recipitur vel habetur, illud ipse ad se quasi iterum recipit, & Diabolo, mendacii patri, permittit, ut suum substituatur, quæ extrema iræ divinæ pœna est.

§. 26. Quare *devotè & sollicitè cogitandum* de pristina ipsius gratia, & re deundum est ad priora opera, quo hanc ipsius iram declinemus. Clemens est, nec vult interitum peccatoris, sed potius ut convertatur & vivat. 2. Pet. III, 9. Neq; est ullum ullius peccatum tantum, quod ipse non possit condonare, & ipsi remittere. Paulus exemplum est 1. Tim. I, 15. 16. Si autem fuerit, qui eo usque à S. Spiritu impelli se patitur, ut ad frugem redeat, illum etiam recipere oportet, eos, quibus officium recipiendi ab Ecclesia demandatum est. *Si quis exciderit*, ait Epiphanius hæc. 39. *non illum sancta DEI Ecclesia perditum vult*, ἡδωσι δὲ ἐπάνοδον, καὶ μὴ ἢ μετάνοιαν ἢ μετμέλειαν, imo *est receptum, & post penitentiam mutandi consilij facultatem indulget*. *Ingens* hac de re olim controversia fuit in Ecclesia DEI. Cum enim sub persecutionibus Ethnicis multi Christianorum lapsi essent, & postea recipi peterent in Ecclesiæ sinum, erant quidam rigorosiores, qui illos in gratiam & communioem Ecclesiasticam recipi negarent, sed DEO soli re-

linquendos esse dicitarent. Notat Cluverus noster hoc nomine Hermetis Pastorem, qui in libro suo, qui vulgò circumfertur, pœnitentes repellat, & ita sese suspectum reddat. Comm. h.l. quod verò nos seponimus, & ad certiora convertimur. Talis fuit Novatus, Romanæ Ecclesiæ Presbyter, utpote qui arrogantia adversus alios elatus contendit, *ὡς μηκέτι ἔσσις αὐτοῖς σωτηρίας ἐλπίδι, μηδ' εἰ πάντ' αὐτὸ εἰς ἑπίτροφίῳ γησίαν καὶ καθάρσιν ἐξομολόγησιν ἑπιτελοῦσιν, quasi nulla spes ipsis (lapsis post baptismum) posthac superesset, tametsi omnia explerent, qua ad sinceram conversionem puramq; confessionem pertinent.* Quam ipsius sententiam Ecclesia, etiam Synodice congregata, censuit, esse *μισόδελφον καὶ ἀνθρωπολάτῳ, in humanissimam & à fraternâ charitate alienam*: & contra statuit, *ὅτι τῇ συμφορᾷ ἐλεπηκώτους τῶ ἀδελφῶν, ἰᾶσθαι καὶ θεραπεύειν πῶς τῶ μέγιστος φαρμάκους, fratres qui in calamitatem inciderant, pœnitentiâ remediis curandos esse & confovendos.* Inquam sententiam Eusebius, qui hæc retulit, laudat Epistolas Cornelii, Episcopi Romani, & Cypriani, & aliorum Antistitiū, ex quibus pateat, quod & ipsis placuerit *τὸ δεῖν τυγχάνειν ἑπιτελείας ὅτι πεπρωμένους, ut subveniretur iis qui in tentationes incidissent.* Hist. Eccles. L. VI. c. 43. Confer Epiphan. hæc. XXXIX. s. LIX. qui solvit objectionem primariam ex Hebr. VI. 8. ex vers. 3. Occurrit & isti objectioni, quasi Ecclesia esset mollior recipiendo pœnitentes; *non quod mollior, ait, ac dilutior sit, aut pigriores illos faciat, qui in illo studio decurrunt; sed ut DEI gratiam humanitatemq; non rejiciat, ac cujuscunq; causa modum ac rationem consideret.* Addit & vota pro sua, & orthodoxa sententia stabilienda. Confer & August. D. hæref. cap. 38. cum notis Danzi, & si placet, quæ hac de re scripsimus in Antiqq. Eccles. Sec. II. art. 6. §. 9. sqq.

§. 27. Pertinent huc, qui pœnitentiam agi vetant, saltem publicam, & resipiscentes quoquo modo juvare nolunt, vel ex aliquo ipsorum odio & contemptu, vel ex ignavia, vel ex intempestivo metu, veriti, ne malam apud adversarios gratiam ineant, & aliquod suum, suorumve, damnum incurrant. Qui mihi similes videntur Sacerdoti & Levitæ, qui videntes miserum hominem, à latronibus malè mulctatum & relictum, ipsum tamen juvare noluerunt, sicut Samaritanus voluit, & juvit. quibus DEUS suam sive socordiam, sive timiditatem ne imputet. Certè feverè inve-

invehitur per suum prophetam Ezech. XXXIV. 4. *quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod agrotum, non sanastis, quod confectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quasistis, sed cum auctoritate imperabatis eis, & cum potentia.* Id quod ingens damnum infert Ecclesiæ; *Et dispersa sunt, porro conquæritur, oves meæ, eò quod non esset pastor, & facta sunt in devorationem omnium bestiarum agri, & dispersa sunt.* Erraverunt greges mei in cunctis montibus, & in universo colle excelsò, & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat, qui requireret, non erat, inquam, qui requireret. Id quod gravissimam pœnam promeretur. Nam porro subjungit DEI verba: *Propterea audite, pastores, verbum Domini. vivo ego dicit Dominus DEUS, quia pro eo, quod facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eò quod non esset pastor (neq̄ enim quasierunt pastores mei gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos, & greges meos non pascebant.) Propterea, pastores, audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus DEUS: Ecce ego ipse super pastores, & requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultra non pascam gregem meum, nec pascant amplius pastores seipsos &c.* Quæ ut petinent in genere ad versus neglectum officii; ita in specie etiam ad versus neglectum pœnitentiæ vel urgendæ vel promovendæ, & recipiendos pœnitentiæ serio agentes.

Faxit DEUS, ut lapsi, quocunque modo id contigerit, feriam agant pœnitentiæ, & solatium in Ecclesia quærant, legitime inveniant, & oves unà cum suis pastoribus aliquando salventur!

*Ad Eximium Præstantissimumq̄*

## DN. RESPONDENTEM,

**N**on labi stantes, non posse resurgere lapsos,  
Sunt ea qui doceant, sed docuere male.

Srans labi poterit, poteritque resurgere lapsus,

Credientem hanc docuit pagina sacra fidem.

Te DEUS erexit, tu ne labare caveto,

Securum non fert Numinis ille timor.

Tu vero es lapsus, ne desperato salutem,

Surge jubente DEO, surge juvante DEO,

Te

Te Respondentem tueatur gratia CHRISTI,  
 Nelabare unquam præcipitique malo.  
 Quin firma stantes, & lapsos erige. Fidi  
 Sunt ea Pastoris munera, grata DEO.

ISAACUS FAUSTIUS, D.  
 Collegij Theologici p. t. Decanus.

*Præstantissimo*

DN. RESPONDENTI,

**N**Os miseros homines, primus quos lapsus Adami  
 Perdidit, in Christo gratia dia juvat.  
 Felix, qui dono hoc Christi non excidit amplo:  
 Constansq; ad finem permanet usq; fide!  
 Quòd si quis proprio tamen est errore relapsus:  
 Non desperandum est, si modo pœniteat.  
 Hoc, Mezlerè, docet tua Dissertatio: doctis  
 Quæ commendabit Te quoq; jure viris.

gratulab. f.

SEBASTIANUS SCHMIDT, D.

*Ad Pereximium*

Dn. MEZLERUM, de dicto Apoc. II, 4. 5. Dispu-  
 tantem, Fautorem & Amicum à Condiscipulatu  
 dilectissimum.

**H**Actenus in multis Sacris, MEZLERE, Lycéi  
 Certasti, verâ non sine laude Tuâ.  
 Nunc *Argentina* Clariis versatus in agris  
 PRÆSIDE sub MAGNO verba diserta facis.  
 Hâc insilite viâ, trans æquora perque remotas  
 Ambages terræ TE Tuâ fama vehet!

f.

M. CHRISTIANUS LUCIUS,  
 S.S. Th. Stud.

F I N I S.







